

tionalem, cujus tractat : *Berneggerus* ex Italico in Latinum idioma transtulit : describere deinde utilissimum hoc instrumentum Mechanicum complures, quos citat *Andreas Alexander* in Tractatu, cui titulus: *Kurzer Bericht vom Gebrauch des Proportional-Cirkels* anno 1662. Noribergæ edito, quem vide.

(31.) *Atbanasius Kircherus* anno seculi hujus 31. Augustissimo Imperatori *Ferdinando III.* tunc Austriae Archiduci obtulit confectum à se instrumentum quoddam Geometricum novum, quod Pantometron appellavit, eò quòd unum omnia, admirandâ quadam facilitate, metiatur, latitudines scilicet, longitudines, altitudines, profunditates, superficies, corpora, terrestria, cœlestia, & quicquid demum omnibus omnium ferè aliorum instrumentis metiri solemus. Hoc organon ipse quidem *Kircherus* in *Arte Magn.* l. 2. Part. 2. c. 3. breviter descripsit; sed *Schottus* (qui ipsi Pantometri Kircheriani nomen ab Auctore indidit) fabricam usumq; ejus integris decem libris prolixè diduxit, ad quos B. L. remitto.

(32.) Mensulam Geometricam *Johannis Prætorii*, Mathematicum Professoris Altdorfini Celeberrimi, quatuor libris fusè descripsit *B. Schwenterus* in Tract. III. Geometriæ suæ Practicæ, quem vide, unâ cum iis, quæ *Georgius Andreas Bœclerus* in novâ Geometriæ illius editione mensulæ illi Prætorianæ superaddidit.

(33.) Quoniam Instrumentum hoc in nullo monumento publico descriptum adhuc legitur, at verò dignum oppidò est, cujus notitia ad plures perveniat, ideò placet ejus descriptionem, prout eam ingeniosissimus Author in humanissimis 11. Julii ad me datis, transmisit, totam hîc inferere. Summa illarum literarum hæc erat: *Vt fide promissi mei, quam urgentibus negotiis aliis in hunc usq; diem protendere coactus fui, hac vice me liberem, mitto Tibi tandem Descriptionem Sextantis mei, quæ si desiderio Tuo accommoda, aut digna fuerit, quæ in Academiis publicè legatur, atq; conspiciatur, habebò non modò de quo mihi gratuler, sed occasionem quoq; arripiam, digniora in studio Astronomico Instrumenta posthac excogitandi. &c. &c.* Ipsa verò descriptio, quam Authoris verbis conceptam huc apponam, talis est.

E

DE.